





VENTILATIO JURIDICA  
DE  
LIBELLIS,

15.

1659/14

16

QUAM  
Divinâ Spiritus Sancti gratiâ clementer assistente  
CONSENSU MAGNIFICI JCTO-  
RUM ORDINIS IN ILLUSTRIS

Academia Jenensi,

PRÆSIDE

VIRO Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Con-  
sultissimo & Excellentissimo,

DN. CHRISTOPHORO PHI-

LIPPO Richtern / J. U. D. Com. Pal. Cæs.

Antecessore celeberrimo, p. t. Decano Spectabili, Consi-

liario Saxonico, Curiaë Provincialis Saxonicaë & Scabi-

natus Adfessore gravissimo, Facultatis Juridicaë Se-

niorè venerando, Præceptore sanctè

colendo,

*Publicè eruditorum corona discutiendam*

*proponit*

*Ad diem Martii*

GEORGIVS HOEJING,

OLDENBURGENSIS,

AVTOR.

JENÆ, ex Molybdographia GEORGII SENGENWALDI,

ANNO M. DC. LIX.



54

LIBRARIIS

JOSEPHUS MARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS





## THESIS I.



Mnem doctrinam à subjecti definitione inchoandam rectè monet Plato, utpote quæ materia tractandæ naturam & differentiam breviter exponat. Becker. *in præm. Synops. jur. publ. s. 4.* Facturi quoque competens Disputationis nostræ initium merito majorum vestigia calcantes insistimus, & à definitione: quæ scilicet ad scientiam apparat. Valentin. *Arithmæ. Velitat. Feudal. Disp. 3. th. 2. lit. a.* & à Scaligero subtilitatum Magistro *Exercit. 301.* anchorarum omnium firmissima indigitatur. *Arithmæus d. l.* initium facimus.

## II.

Cum autem omnis definitio sit duplex, alia *Nominis*, alia *Rei*. *Illæ*, unde sit; *Hæc*, quid sit, indicans. Arist. *1. Top. 1.* Sichmann. *in Idea Jur. Episcop. modern. c. 1. n. 4.* definitionem nominis sive etymologiam ejusque acceptionem probè hic prius excutiemus: multis enim sæpe imposuit fallax etymologia, sed & multis intimas rerum & verborum vires aperuit. Forcatulus *in Necyomantia Dial. 73. in princ.* & à vocis usu sæpè in rei ipsius cognitionem provehimur. Scaliger. *Exerc. 1. sect. 1.* neglectus autem verborum parit paulatim rerum incertitudinem. Oldendorp. *Class. 4. action. 24. num. 9.*

## III.

Libellus autem nomen suum trahit à libro arborum cortice. *VVesenb. π. ff. de codicill. n. 2.* & quidem interiori corticis parte, quæ ligno cohæret & vocatur *liber*, uti constat

A

stat

stat ex Virgilio *lib. 2. Georgicōv*, ubi de arborum insitione, sermo fit hunc in modum:

— — huc aliena ex arbore germen

Includunt, udoque docent inolescere *libro*.

in quo ante usum chartæ vel membranæ cascos Romanos scriptitasse legimus, & de libris arborum volumina compaginasse, apud. Polydor. Virgil. *de Rerum Inventor. lib. 2. c. 8.* & Servius *lib. 11. Aeneidos* in illud Virgilii:

Huic natam, libro & sylvestri subere clausam.

egregiè & pulchrè ut omnia refert. Etsi hodiè ejusmodi libelli invento chartarum usu, generi humano longè utilissimo ac convenientissimo apud nos nunquam fuerint in usu: tamen nomen adhuc remanet, & continens pro contento per synecdochen dicitur libellus, nam nomen manet, etsi res pereat. *l. sicut. 7. §. fin. ff. quod cuiusque universitat. &c. Manz. ad princ. Instit. de perpet. & temporal. act. n. 16.* Sic actiones, quæ olim perpetuò competebant, hodiè verò tantum triginta annos durant, dicuntur adhuc perpetuæ. Item modus litem contestandi hodiernus, qui in foro nostro receptus; & modus, quo usa est Romana vetustas, longè videtur esse diversus, cum ejusmodi formalibus nos non utamur, nomen tamen adhuc remanet.

#### IV.

Sumitur autem vocabulum *libellus* in jure nostro admodum ambigè. Interdum enim pro codicillo, vel epistola fideicommissaria, ut in *l. 1. princ. ff. de tab. exhib.* Secundò pro pane albo & succinericio, ut in *l. judices. §. junctagloss. in verbo libellis. C. de episcopal. audient.* Tertio pro scripto supplici, sive supplicatione, ut vulgò dicimus, principi simpliciter & non animo judicialiter procedendi obla-

ta.

ta. sicut in *l. omnia quaecunque. 71. ff. de R. I. l. nec quicquam. 9. §. 1. ff. de offic. procons. & tot. tit. C. quando libellus principi dat. litis contest. faciat.* Quartò pro epistola assertoria accipitur, quam vulgò certificationem vocamus. in *l. si publicanus. 4. §. 1. ff. de publican.* Quintò pro scedia intimatoria, videlicet quæ in foro, aut valvis ecclesiarum proponitur, invenisse scilicet aliquem rem amissam indicans; eique cujus est, redditurum, in *l. falsus. 43. §. 8. ff. de furt.* Sextò accipitur pro breviculo, in quo iudices olim sententiam scribebant & scriptam proferebant. *l. 2. C. de sentent. ex brevic. recitand. ibique Gothofred. in notis. lit. m.* Septimò capitur pro scriptura, quam actor affert animo procedendi iudicialiter: & de tali libello nobis hic sermo. Kling. *ad cap. 1. extra. de libell. oblat. n. 3.* Oldendorp. *in Antinomi. ff. de R. I. pag. m. 8.* Schard. *in Lexico Juridico.*

#### V.

Cæterum *libellus* aliis quoque in jure nominibus gaudet: sunt enim synonyma hæc, *libellus, c. 1. extra. de libell. oblat.* Narratio negotii, *l. 1. C. de litis contest.* Petitio in jure proposita. *c. olim inter episcopum. un. extra. de lit. contestat.* Reclamatio, seu postulatio. *d. c. 1. de libell. oblat.* Kling. *ad d. c. unicum. extra. de litis contest. n. 6.*

#### VI.

Præmissâ definitione nominis ejusque homonymia, & synonymia: sequitur definitio rei. Placet autem præ cæteris definitio Danielis Venatoris, qui in *Analys. Jur. Pontific. lib. 2. tit. 3.* Libellum in hunc modum definit: Quod sit scriptura brevis, intentionem, causam, & petitionem actoris continens, contra adversarium necessariò concludens. *per c. fin. extra. de libell. oblat. l. ampliorem. §. 1. C. de appell.* Simili modo definit libellum Petr. Frid. Mindan. *lib.*

1. de Process. cap. 2. n. 2. in fin. & post illum Conrad. Schleif.  
in notis illustrib. ad π. V. Vesenb. ff. de edend. n. 4. nisi quod  
addat vocabulum inferens, hunc in modum: contra adver-  
sarium simul accusatio inferens & concludens.

VII.

Dicitur libellus *scriptura*: quia debet offerri in scri-  
ptis, ut notatur in Authent. offeratur, C. de litis contest.  
(quæ Authentica est Canonifata in c. inducia. 4. § offeratur.  
caus. 3. q. 3.) c. 1. extra de libell. oblat. ibidemq. Kling. n. 4.  
Schneidew. ad §. omnium. Instit. de action. n. 99. idè gloss. in  
l. prolatam. 4. C. de sentent. & interlocut. numerat libellum in  
scriptis inter essentielles & substantiales solemnitates proces-  
sus. Sichard. ad d. Authent. offeratur. n. 3. nam secundum  
jura, in omnibus processibus ordinariis & causis plenariis  
requiritur libellus, hoc est petitio, debet exhiberi scripto:  
ita, ut nec tacitè nec expressè omitti possit; adeò quod si o-  
mittatur: totus processus vitietur & invalidetur. d. Authent.  
in fine. C. de litis contest. ibi enim dicitur litis contestationem  
factam libello non porrecto pro nihilo habendam esse. Kling.  
ad c. 3. extra de litis contest. n. 3. Sichard. ad d. Authen. n.  
2. & n. 4. Damhouder. in Praxi Rer. Civil. cap. 100. quod &  
in Camera Imperii obtinet. Ordinat. Cam. part. 3. tit. 12. §.  
Zum andern, in fin. ibi. Doch daß solches nicht mündlich/  
sondern in Schriften geschehe. Et quamvis olim de jure Di-  
gestorum non fuerit necessarium libellum proponere in  
scriptis, sed suffecerit petitio vivæ vocis, quam vocarunt e-  
ditionem actionis. l. 1. §. 1. C. de edend. tamen hodiè de jure  
Codicis & novissimo, in libello scriptura est necessaria. Si-  
chard. d. l. n. 3. De consuetudine tamen servatur multis in  
locis, quod libellus non offertur in scriptis, sed dictatur No-  
tario. Kling. ad d. c. 1. extra de libell. oblat. n. 4. Schneidew.  
ad §. omnium. Instit. de action. n. 99. quod & in foro Saxoni-

co obtinet, ut litigantes jus suum non mutuis scriptis libellis: sed vivâ voce & ore tenus vom Munde in die Feder proponere teneantur. Constit. Elector. Saxon. part. 1. Constit. 1. Hinc stylus curiæ & mos judiciorum diligentissimè observandi veniunt: cujus observantia habetur pro forma, & ab ea non est recedendum. Everhard, in Top. loco à Stylo curiæ seu more judicior. 105. n. 4. imò habentur pro lege. l. si quando. fin. in fin. ibi: in cæteris mos judiciorum, qui hæctenus obtinuit, in posterum servatur intactus. C. de injuriis. l. generaliter. 12. §. in omnibus. C. de reb. credit. & jurejur. l. 1. C. qua sit longa consuetudo. c. quam gravi extra de crimine falsi. Guido Papæ Decis. Gratianop. 198. n. 2. Gail. lib. 1. observ. 1. num. 1. Damhouder. in Prax. Rer. Civil. cap. 150. num. 1. libellum autem contra stylum & curiæ consuetudinem judex rejicere potest. Thuldæn. in Annotat. ad prax. Rer. Civil. Damhouder. cap. 102. lit. h. unde forma libellorum certa præscribi non potest, cum juxta cujuslibet curiæ stylum & consuetudinem sint concipiendi. Venator in Analys. Jur. Pontific. lib. 2. tit. 3. VVelenb. π. ff. de edend. n. 7.

### IIX.

Dicitur verò 2. libellus *scriptura brevis*: quia actor quantum possibile est, cavere debet, ne sit verbosus, sed ut omnia verba in libello posita sint alicujus ponderis, nec quicquam, imò ne syllaba superflue ponatur. l. fin. §. in refutatoriis. C. de appell. Kling. ad cap. 1. extra de libell. oblat. num. 5. Schneidew. ad d. §. omnium. n. 101. unde etiam diminutivè libellus dicitur, propter sui breviter. Venator in Analys. Jur. Pontific. libr. 2. tit. 3. nam advocatos ineptè garrientes in libellis ut puniat, lege permissum est judici. d. l. fin. §. in refutatoriis. C. de appell. ibi: caveant tam litigantes. &c. quæ vox poenam minantis est. Præsertim in causa

A 3

appel-

appellationis. Sichard. *ad d. Authent. C. de litis contest.*  
*num. 3.*

I X.

Non tamen in omnibus causis libellus in scriptis ut offeratur necesse est: in quibusdam enim causis, nempe summariis, in quibus simpliciter, de plano & absque figurâ & strepitu iudicii proceditur, in iis nec libelli oblatio, vel litis contestatio necessaria est. Venator in *Analys. Jur. Pontific. lib. 2. tit. 5.* Arnold. ab Haerfolt. in *prolegomen. Adversar. de action. num. 70.* Damhouder. in *Prax. Rer. Civil. c. 100.* Sichard. *ad d. Authent. n. 5.* Kling. *ad cap. 3. extrâ de litis contest. num. 3.* Maranta in *Speculo. part. 4. distinct. 9. n. 12.* imò eo loco potest iudex etiam sententiam sine scriptis proferre. Sichard. *d. l. n. 5. & in l. 1. C. de sentent. ex brevic. recitand. n. 35.* quod est contra *l. fin. C. de sentent. ex brevic. recitand. & c. legum in fin. caus. 2. qu. 1.* (quid sit autem simpliciter & de plano ac sine strepitu ac figurâ iudicii procedere, eleganter exponitur in *c. sepe contingit. 2. Clementin. de verbor. signif.*) Causæ verò in quibus solennis iudiciorum ordo non servatur, notantur in Clementin. dispendiosam. De iudic. & sunt causæ beneficiales, ecclesiasticæ, causæ decimarum, causæ usurarum, (nisi de usuris ageretur in foro seculari, uti limitat Johannes *ad d. Clementin. dispendiosam. fol. m. 25.*) causæ matrimoniales: & aliæ his quatuor annexis, ut sunt causæ super electionibus, collationibus, promissionibus, præsentationibus dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, &c. Venator perpulchrè ut omnia *d. l. Coram arbitro quoque*, qui suam notionem non habet à seipso, sed à partibus, potest procedi libello non porrecto. Kling. *ad cap. 3. extrâ de litis contest. n. 3.* pronunciat enim arbiter, secundum quod à partibus est conventum. *l. diem proferre. §. si quis litigator, versic. proinde. ff. de arbitris.* Kling. *d. l. n. 3. &*  
com-

compromissi forma dat notionem arbitro. *l. non distinguemus ff. de arbitris.* Sichard. *ad d. Authent. offeratur. C. de litis contest. n. 6.*

X.

An autem libellus consensu partium possit omitti, seu an productioni libelli possit renunciari per partes, hic quæ-  
rere lubet: quod negamus proximè sequentibus nixi rati-  
onibus. 1. quia in omnibus processibus ordinariis requiritur  
libellus, ut thes. 7. præcedente dictum: ratio est, quia libel-  
lus est fundamentum totius iudicii, ad quem omnia acta  
iudicii referuntur. Modest. Pistor. *part. 2. consil. 21. num. 4.*  
2. quoniam processus & iudicii substantia expressè & ad a-  
missim sunt observanda, nec consensu partium tolli aut re-  
mitteri possunt. *gloss. in cap. de causis in verbo consensu. extrà  
de offic. de legat. Gail. lib. 1. observ. 79. num. 9. Guido Papæ.  
Decis. Gratianop. 216. num. 1.* 3. Quoniam in omnibus, qui-  
bus non requiritur libellus, litis contestatio quoque omitti  
potest: quia cum libellus sit origo & fundamentum litis,  
remissio libello, remittitur quoque litis contestatio. *Gail.  
d. lib. 1. observ. 76. num. 4.* 4. Vbi verò nulla est oblatio li-  
belli, neque litis contestatio, ibi nulla potest ferri senten-  
tia. *c. cum dilecta. extrà de rescript. ibi: propter quod proces-  
sum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem  
attentatum, irritum decernimus & inanem. l. 4. C. de sentent.  
cujus verba ita se habent: prolatam à preside sententiam con-  
tra solitum iudiciorum ordinem, auctoritatem rei iudicata non  
obtinere certum est.* Ratio est in textibus hic allegatis: quo-  
niam ibi nullus est ordo iudicii, nam ordo iudiciorum est,  
ut offeratur libellus, lis contestetur, juretur de calumnia,  
depositiones testium conscribantur & publicentur, sententia  
scribatur & à iudice proferatur. *gloss. in d. l. prolatam. 4. C. de  
sentent.* accedit insuper & hoc, quod sententia debeat esse  
con-

conformis libello seu petitioni: & nisi sit conformis libello, est nulla. *c. licet Heli. extra de simonia: & cap. qualiter & quando. extra de accusation.* Everhard. *in Top. loco à libello ad sententiam. 48. n. 1.*

XI.

Quod autem dictum est, sententiam debere esse conformem libello, non universaliter & simpliciter verum est, licet regulariter verum sit. *Jafon. ad §. curare. Instit. de action. n. 28.* multæ enim sunt factorum species, in quibus toleratur libelli, sive petitionis & sententiæ discrepantia. Nam 1. non procedit in Papâ & Imperatore, quoniam hi non attendunt, qualiter vel quomodo petitum sit, sed sola facti veritate inspecta pronunciant. *Zaf. ad §. curare. Instit. de action. num. 17.* *Schneidew. ad d. §. curare. num. 41.* Venator *in Analys. Jur. Pontific. lib. 2. tit. 27.* *Jafon. ad eundem §. curare. Instit. eod. num. 29.* 2. Fallit in iudicio familiæ heriscundæ. Potest enim iudex ex officio totam rem, de quâ litigatur, uni adjudicare, & alteri adjudicare certam summam pecuniæ, licet hoc in libello divisorio non sit petitum. *Sichard. ad rubric. C. famil. herisc. num. 4.* 3. Fallit in criminalibus, in quibus etsi conclusione opus non sit, ratio quia probato crimine jura ipsas pœnas & punitiones criminibus debitas & proprias, ilicò citra conclusionem ullam referunt & commonstrant, quæ secundum leges à iudice imponendæ veniunt. *Perez. in C. tit. de accusat. num. 4.* *Damhouder. in Prax. Rex. Criminal. cap. 30. num. 7.* si tamen conclusio fiat, & accusator petat sic vel sic puniri, adhuc tamen iudex, cognita qualitate delicti & personarum, plus minusque condemnandi liberam potestatem habet. *Venator. Zaf. Jafon. & Schneidew. dd. locis.* Denique potest iudex, & in civilibus causis, quoad qualitates, tempora, modos, loca, non sequi petitionem libelli. *Venator. Zaf. dd. locis.* atque  
has

has fallentias nobis hic tetigisse sufficiat, plures qui videre desiderat, is adeat Felinum *in c. licet Heli. extrà de Simonia* qui triginta unam cumulavit fallentias, in quibus non fit opus, ut sententia sit conformis libello, uti eum allegat Maranta *in Speculo part. 6. de sentent. diffinitiva & interlocut. num. 63.*

### XII.

Porro intentionem quod attinet, id est, rem petitam, quam velit, cupiat aut intendat, designare actor debet in libello: aliàs posset dici libellus obscurus. Maranta *in Speculo part. 6. memb. 3. num. 8.* propter obscuritatem autem rejicitur libellus: cum nihil placeat judici, quàm claritas. *Novell. 107. c. 1. l. de atate. 11. §. 7. ff. de interrogat. in jur. fac. c. cum clamor. extrà de testib. Kling. ad c. 1. extrà de libell. oblat. n. 6.*

### XIII.

Causam verò quod concernit, debet illa esse concludens: nempe quo jure petat, v. g. peto centum, quia mutuavi &c. vel peto puniri, quia tale delictum commisit. Maranta *in Speculo. part. 6. memb. 3. num. 8.* nam si concludens causa non ponitur, non procedit libellus, ut si dico, peto centum, vel peto fundum, quia rex est in Francia, esset inepta causa, quia talis causa non præsupponit obligationem rei. Arnold. ab Haersolt. *in prolegom. adversar. de action. n. 74.* & per consequens inepta conclusio: quoniam conclusio, ut in libello procedat, requiritur, ut ejusdem sit qualitatis cum obligatione. Arnold. ab Haersolt. *d. l. num. 76.* itaque vitaretur conclusio, ut notat *gloss. in l. 2. §. circa. ff. de doli except.* & post illam Maranta *d. l. n. 8.* Zasius *ad §. si minus. Instit. de action. num. 6.* hinc quoque sententia lata super ejusmodi inepto libello, est ipso jure nulla. *Jas. ad §.*

B

omni-

25  
omnium. *Instit. de action. num. 167.* Everhard. *in Topic. loco à libello ad sentent. 48. num. 2.* Tilemann. *part. 1. Disput. ff. 6. thes. 26.* exceptio quoq; super ejusmodi libello inepto potest quodcumque opponi etiam post sententiam, quæ transit in rem judicatam. *Jas. d. l. num. 168.* Thuldæn. *in annotat. ad Prax. Rer. Civil. Damhouder. cap. 101. lit. a.* Hoc tamen limitatur, ut non procedat hæc exceptio ineptitudinis circa libellos apud summos principes, item in Camera Imperii non habet locum. *Zaf. ad §. curare. Instit. de action. ubi hoc nota dignum ait. Mynsinger. centur. 4. observ. 5. Gail. lib. 1. observ. 66. num. 16.* quod primum attinet, certè in Papâ & Imperatore hoc nihil necesse est, quia sola facti veritate inspecta pronunciare possunt, hi enim non sunt obligati nec adstricti solennitatibus. Princeps enim legibus solutus est, *l. princeps. ff. d. ll.* quod intellige quoad solennia juris. *Bald. in l. fin. C. eod. tit. & post illum Zaf. ad d. §. curare. num. 17.* quod verò Cameram Imperii concernit, responderi potest, quod illa cum Cæsare concurrentem jurisdictionem habeat, adeòque ipsum Cæsarem, quoad justitiæ administrationem in causis civilibus repræsentet. *Gail. lib. 1. observ. 29. num. 3. & observ. 121. num. 3. Mynsing. d. loco. 2.* limitatur circa ineptitudinem libelli: ut illa procedat in causis summariis, ubi proceditur sine figurâ judicii. *Maranta in Speculo. part. 4. distinct. 9. n. 14.*

#### XIV.

Petitionem tandem quod spectat: in qua consistit modus agendi, & tota vis libelli vertitur. *Zaf. ad princ. Instit. de action. num. 27.* Everhard. *in Top. loco à subjecta materia. n. 27.* non una ea, sed variæ à Dd. commentæ; quæ nihil aliud sunt, quàm conclusiones sive clausulæ, quæ ab advocatis libellis inferi solent, & refert eas *Jas. ad §. omnium. Inst.*  
de

*de action.* harum quatuor præ cæteris tantum valdè utiles esse & in omni libello opponi solere pro utilitate libellantis putat Maranta *in Speculo. part. 6 membr. 3. num. 15.* quare à Dd. communiter salvantes sive salutare indigitantur. Gail. *lib. 1. observ. 61. num. 12.* Estque prima hæc, quæ in fine libelli annecti solet: *super quibus omnibus & singulis peto jus, & justitiam mihi ministrari.* Jas. *d. s. omnium. Inst. de action. num. 147.* Maranta *d. l. n. 15.* Arnold. ab Haerfolt. *in prolegomen. Adversar. de action. num. 80.* & hanc clausulam, multum utile esse, semper in fine libelli apponere, illamq; valdè salutarem dicit Jas. *d. l. n. 147.* Zas. *ad d. princ. Instit. de action. num. 27.* imò salvare hanc libellum ab omni ineptitudine refert. Maranta *ibid. num. 15.* & esse illam, quemadmodum est herba betonica, post Anton. & Panorm. Jas. *d. loco.* & hujus petitionis sive clausulæ alium maximum & singularem effectum refert Everh. *in Topic. loco ab effect. eor. quæ simul requiruntur ad esse. 22. num. 7.* ubi subjungit: *tu ergò sis cautus, ut nunquam omittas eam ponere in libello per te conficiendo: quia vidi plures succumbere ob omissionem dictæ clausulæ, capta per eos inepta conclusione, qui non succubissent, si dictam clausulam in conclusione posuissent: & tantò magis sis cautus, quia in benè & aptè formanda conclusione faciliter errat, qui naturam actionis ignorat, propter quod contigit plures succumbere. l. 1. junctâ gloss. ff. si mensor fals. mod. dix. addatur Gail. loco citato. n. 11. & 12.*

XV.

Alterâ clausula utilis est illa: *Non tantum dicto modo, sed etiam omni alio meliori modo, quo fieri potest.* Jason. *ad d. s. omnium. Inst. de action. num. 151.* Maranta *d. l. n. 16.* Zas. *ad d. princ. Instit. de action. num. 27.* Arnold. ab

Haersolt. *d. l. num. 81.* quæ operatur, ut in casu dubio libellus sustineatur, & interpretetur eo modo, quo favorabilius potest juvari intentio actoris. Jason, Maranta, Zas, Arnold. ab Haersolt. *dd. locis.* inde pro sustentatione quoque libelli licitum est verba impropriare, quando libellus non potest admitti in propria locutione, ut ita potius valeat quam pereat. *l. sed si possessori. §. item si juravero. ff. de iurejurand.* Jason. *ad d. §. omnium. num. 108.* Sichard. *ad rubric. C. de servitut. & aqua. num. 5.* Idem *ad l. i. C. de usufruct. num. 3.* ubi pulchrum exemplum impropriationis verborum videri potest. Mynsing. *centur. 4. observ. 5.* Gail. *lib. 1. observ. 66. n. 7.*

### XVI.

Tertia utilis est illa : *Non adstringens se ad probandum nisi necessaria, & qua ad causa victoriam pertinent.* Zas. *d. l. num. 28.* Maranta *loco citato num. 17.* Arnold. ab Haersolt. *d. l. n. 82.* Germanicè sic effertur. *Daß er sich (scilicet actor) zu keiner überflüssigen Beweisung wil verbunden haben.* quæ clausula operatur, ut actor non teneatur probare qualitates in libello deductas, etiamsi sint inutiles & supervacuæ, ad quod aliàs teneretur : quia actor teneatur probare omnia in libello posita, nisi utatur hac clausula. Zas, Maranta, Arnold. ab Haersolt. *dd. locis.*

### XVII.

Quarta salutaris clausula est : *Et peto in expensis ipsium reum condemnari.* Jas. *ad §. omnium. Instit. de action. num. 146.* Maranta *loco citato. num. 18.* Arnold. ab Haersolt. *d. l. num. 85.* Germanicè ita aut alio simili modo proferri solet. *Neben Erstattung der Gerichtskosten zu urtheilen*

theilen und zu condemniren. Per hanc clausulam cense-  
tur interpellatus iudex, ut in casu, uti vocant succum-  
bentiaē condemnet victum ad expensas, ad quas non te-  
netur iudex condemnare, si non petantur, & licet  
iudex ex se & suo officio posset condemnare victum  
in expensis, quæ factæ fuerunt, post litem contesta-  
tam. *l. adiles. §. item sciendum. ff. de edil. edict.* Jason.  
Maranta. Arnold. à Haersolt. *dd. locis.* tamen si iudex non  
condemnat, nihil potest ei imputari, nec pro hoc tenetur  
victori ad interesse propter omissam condemnationem  
expensarum. Jason. *ibid.* ratio quia iudicis officium non  
nisi imploratum auctori impertiri debet. *l. 4. §. hic autem  
iudicium. ff. de damno infect.* Bocer. *Class. 4. disp. 2. th. 40.  
lit. a.* VVesemb. *π. ff. quib. ex caus. in possess. eat. num. 5.* I-  
dem. *ff. de obligat. & action. num. 11.* Everhard. *in Topic.  
loco à sentent. ad libell. 49. num. 1.* Zas. *ad princ. Instit. de  
action. num. 23.* Rittershus. *in Exposit. method. Novell. part.  
9. cap. 6. num. 136.* Kling. *ad c. causam extrà de iudic. n. 1.*  
Arnold. ab Haersolt. loco sæpius citato. *num. 85.* Fachin.  
*lib. 13. controvers. c. 21.* Sichard. *ad l. 4. C. ad leg. Aquil. n. 11.*  
& Dd. communiter per textum allegatum, quando ve-  
rò sunt petita: tenetur omninò iudex declarare super  
expensis, & condemnare condemnandum, alias faceret  
litem suam, id est, alienæ litis causam propriam faceret.  
post Bart. Maranta & Arnold. ab Haersolt. *locis citatis.*  
unde cautos esse monet advocatos post Dyn. & Bart. *Jas.  
d. l. num. 146.* ut in libello petant reum condemnari in  
expensis factis & faciendis usque ad finem causæ.

### XIIX.

Solet & in fine libelli officium iudicis implorari:  
quod cum à Dd. vulgò dividi solet in nobile & merce-

B 3

nari-

25  
narium. Sichard. *ad l. 3. C. ex quib. caus. major. in integr. restit. n. 2.* Fachin. *lib. 13. controvers. cap. 21.* Damhouder. *in Prax. Rer. Civil. cap. 9. in princ.* Venator *in Analys. Jur. Pontific. lib. 1. tit. 32.* Schneidew. *in princ. Instit. de offic. jud. num. 2.* Kling. *Instit. ibid.* Oldendorp. *in progymnas. p. prefat. de offic. jud. versic.* quandoquidem verò. Anton. Guibertus *lib. 1. quest. jur. cap. 10.* Schleif. *in not. illustrib. ad π. Vvesenb. ff. de obligat. & action. n. 12.* Nobile judicis officium illud vocant, quod judex sua, hoc est, jurisdictionis auctoritate exercet, etiam si nulla proponatur actio: & interdum nomine proprio, nemine petente. Mercenarium verò dicunt: quod actioni propositæ & intentatæ cohæret, eique ancillatur & deseruit. Dd. citati præallegatis locis: hanc tamen divisionem Jcti emunctioris naris tanquam ineptam & insulsam respiciunt & rejiciunt: & nullam nobile, nullum mercenarium officium Romanis legibus probari ajunt. Goeddæus *ad l. 22. ff. de V. S. num. 18.* Oldendorp. *d. l.* Anton. Guibert. *d. lib. 1. quest. jur. cap. 10.* qui novercali odio hanc Dd. distinctionem invadit, eamque vellicat & lacerat: hæc, inquiens, interpretes commenti sunt, quibus utinam viderem sandalio committigari caput. Nos enim opinionibus illorum in varios errores deducimur &c. Sed hæc latius hic deducere nostri non est instituti; sed solum investigare, quodnam judicis officium in libellis implorari debeat, nobile, an mercenarium, ut vulgò interpretes vocant, & cum supra diximus, officium judicis mercenarium actionibus inservire, meritò itaque illud imploratur. Kling. *ad c. 3. extrà de litis contest. num. 2.* Sichard. *ad d. l. 3. ex quib. caus. major. num. 2.* ubi imperitos perstringit advocatos, qui in fine libellorum talia verba scribunt, peto hoc fieri nobile officium judicis imploran-

rando, quod frequentius fit in lingua vernacula hoc modo, *Eurer Hochadelich Richterlich Ampt Unruffende/* cum deberent mercenarium officium implorare, id est, tacite petere, ut iudex benigne suscipiat actionem, ad quam cogatur adversarius juridice respondere. *Sichard. d. l. num. 4.*

XIX.

Ultima verba definitionis sunt: contra adversarium necessario concludens. Libellus enim est quasi quidam syllogismus. *Everhard. in praambul. Top. num. II. eo-que vel perfecto, vel imperfecto, ut Enthymemate. Bachov. in not. ad π. V Vesenb. ff. de edend. num. 1. Hilliger, ad Donell. lib. 23. cap. 4. lit. D.* Syllogismo perfecto constat, quando propositionem habet majorem, quae plerumque legem aliquam aut regulam juris comprehendere solet. v. g. praemissis primum praemittendis, ajo quod quamvis jure Civili prohibitum & nostra intersit animi liberorum nostrorum non corrumpi. *l. ut tantum. §. 1. ff. de servo corrupt. Major.* Hoc non attento; *Sempronius sollicitavit filium Mævii vicini sui ad furandum & auferendum patri nummos. Minor.* Petit itaque Mævius Sempronium ad interesse & pecuniae ablatae aestimationem condemnandum. *Conclusio.* Major alias regulariter haec tria quoque continere solet. 1. Quis petat? 2. à quo? & 3. coram quo, id est, nomen Actoris Rei & Judicis. Minor causam agendi, id est, actionem sive petitionem cum narratione facti, id est, qua Actor concludit petendo, merito ex praemissis Reum sibi fore condemnandum non tantum in principali causa, verum etiam in expensis. *Vid. Venator. in Analys. Fur. Pontific. lib. 2. tit. 3.* Imperfecto vero Syllogismo sive Enthymemate

con-

constat libellus, quando omittitur propositio major, quæ  
pendet à jure, ut antea dictum, quod judici notum esse  
debet. Bachov. *d. loco.* inde libellus vulgò à Dd. Syllo-  
gismus juristarum practicus ac judicialis vocari suevit.  
Venator. *d. loco.* Wefenbec. *π. ff. de edend. n. 3.* Zal.  
*ad princ. Instit. de action. num. 15.*

## XX.

Definitionem ejusque explicationem rectè & or-  
dine excipit proximo loco Divisio: nam ad naturam rei  
cujusque demonstrandam cum primis divisio conducit.  
Vigl. Zuichem. *ad rubric. Inst. de hered. qual. & diff.* imò  
divisio animum legentis incitat, mentem audientis præ-  
parat, & memoriam artificiosè corroborat. *gloss. in s. igitur. 1. in proem. Instit.* Jason. *ad rubric. Instit. de action. num. 38.* Cravetta *de Antiquitat. tempor. in operis partit.*  
Est autem libellus duplex: alius Conventionalis sive  
postulatorius & Civilis, qui in civilibus causis offertur.  
*l. fin. C. de annal. except. Novell. 112. cap. 2.* Alius Accusa-  
torius sive Accusationis & Quærimonialis, qui in crimi-  
nalibus causis offertur. *l. denunciasse. 17. s. 1. ff. ad L. Jul. de adult. l. sine metu. 17. C. eod.* Kling. *ad c. 1. extra de li- bell. oblat. num. 16.* Venator *in Analys. Jur. Pontific. lib. 2. tit. 3.* Schneidew. *ad s. omnium. Instit. de action. num. 105.* Arnold. ab Haerfolt. *in prolegomen. Adversar. de action. num. 71.* Wefenb. *π. ff. de edend. num. 3.*

## XXI.

Hæ duæ libellorum species à Dd. dividuntur, ut  
alius sit libellus summarius sive simplex, alius articula-  
tus: id est, in certa membra & per numeros distinctus.

Fri-

Frideric. Tilemann. *Disputat. Pandect. 6. thes. 25. Ritters-*  
*hus. in Exposit. method. Novellar. part. 9. cap. 12.* quam di-  
visionem consuetudo recepit atque approbavit, & Ca-  
mera Imperialis amplexa est: ubi hæ duæ libellorum spe-  
cies antehac in viridi fuere observantia, uti patet ex *Or-*  
*dinat. Cam. part. 3. tit. 12.* hunc in modum. §. Zum andern/  
so viel die Klag belanget / so in diesem ersten Termin der  
Kläger fürbringen soll: Wollen wir einem jeden Kläger  
freygelassen und heimgestellt haben / dieselbig seine Klag  
articulweis zu stellen / oder aber summarisch fürzubrin-  
gen / &c. ex novissimo verò *Recessu Imperii de anno 1654.*  
omnis libellus debet esse summarius, & quidem clarus &  
distinctus. §. Diesem nechst / ibi: seine Klag oder Libell  
nicht articul / sondern allein summarischer Weiß / &c.  
idque tam in prima instantia quàm in appellatione, ita  
ut gravamina appellationis statim cum supplicatione pro  
processibus exhibeantur. *d. Recess. Imperii. 6. Zu Beförde-*  
*rung des Process. Sprenger. in Jure Cameral. confirmato.*  
*addit. tractat. de Jur. Edific. p. m. 472.* idque propterea  
factum, ut lites abbrevientur, non verò in infinitum pro-  
trahantur & extendantur.

## XXII.

An autem nomen actionis in libello ut exprimat  
necessum sit, intricata est quæstio, & apud legistas ma-  
gna contentione controvertitur. Aliis distinguuntibus. 1.  
Inter jus Digestorum & Codicis, aliis inter jus Civile  
& Canonicum, aliis verò inter actiones & actiones. De  
jure Digestorum non necesse fuisse refert *glossa in l. 1. ff.*  
*de edend. in verb. edere.* contrarium defendit Försterus  
junior in *tractat. Justinian. part. 2. disput. 1. thes. 4.* Goed-  
dæus

15  
dæus ad l. s. ff. de V. S. alios dissentientes refert Magn.  
Dn. Ungepaur. *Exercitat. Justin. 15. quest. 6. in Nego.* jure  
Codicis secus obtinuisse refert *gloss. praticata in d. verbo*  
*edere.* ubi allegat *Authent. offeratur. C. de litis contest.* Ve-  
rum si posteriorem hujus distinctionis primæ partem, quam  
refert glossa, penitius introspeciamus, falsum assertum illi-  
us esse videtur, quando inquit de jure Codicis secus fuis-  
se: allegando *Authent. offeratur. C. de litis contest.* Nam  
cum Irnerius Authenticarum Codici insertarum autor si;  
quas ex ipso Authenticorum Justiniani Imperatoris vo-  
lumine, quàm brevissimè juxta sententiam tantum de-  
sumserit, & legibus Codicis ejusdem Justiniani inserue-  
rit, ut refert Joan. Fichard. *in Vit. Recent. f. Ctorum.* quæ  
Authenticæ nullam vim legis habent, nisi quatenus cum  
fonte congruunt. Dicit itaque non potest de jure Codi-  
cis secus esse, cum fons ipse potius ex quo illa Authen-  
tica desumpta sit, introspecienda, nempe *Novella 53. c. 3.*  
distingui igitur debuisset inter jus Digestorum & jus no-  
vissimum. Jus verò Canonicum quod attinet, quod &  
Camera Imperialis sequitur, & praxis hodiè passim ob-  
servat, nomen actionis non opus est, ut exprimatur *per*  
*text. in c. dilecti. extra de judic.* (& hanc communem  
Dd. esse opinionem refert Jason. *ad §. omnium. Instit. de*  
*action. n. 165.*) sed sufficit congruentem & aptam nego-  
tio proponere actionem, & loco nominis actionis omissi  
in libello causam petendi, sive medium concludendi o-  
mninò exprimere, de quo in *thes. 13.* plura diximus.  
Schleif. *in not. illustrib. ad π. Wesenb. ff. de edend. num. 1.*  
Sichard. *ad rubric. C. de oblig & action. num. 5.* Wesenb.  
*π. ff. de O. & A. num. 12.* Perez. *in C. tit. de interdicit n. 5.*  
Damhouder. *in Prax. Rer. Civil. cap. 130. num. 10.* Cum  
itaque hæc controversia in jure Civili non sit decisa, me-  
ritò

ritò jus Canonicum hâc in parte sequimur, nam quan-  
do aliquid est dubium de jure Civili, & clarè determi-  
natum à jure Canonico: tunc servandum est jus Cano-  
nicum in utroque foro, *gloss. in c. licet. in versu vacante*  
*extrâ de for. comp.* Matth. Gribald. *in Comm. Opin. lit F.*  
*vers. frater.* Idem *in d. Comm. Opin. lit. S. vers. successio.*  
Guido Papæ *in Apostill. Decis. 513.* Sichard. *ad l. 3. C. de*  
*collat. num. 2.* & *ad l. 11. C. de judic. num. 16.* Magn. Dn.  
Ungepaur. *d. Exercit. Justin. 15. q. 6. in Nego.* Joan. Sith-  
mann. *in Idea jur. Episcop. moderni cap. 13. num. 33.* Tan-  
dem ultimo, quando Dd. distinguunt inter actiones &  
actiones, ut supra diximus: tunc ajunt, quod quando ex  
una causa, sive ex uno facto plures oriuntur actiones,  
e. g. ex furto oritur actio ad exhibendum, rei vendica-  
tio, condictio furtiva, & quoque actio furti, quarum  
quælibet habet specialem petitionem. Item ex legato  
oritur rei vendicatio, & actio ex testamento. in his igi-  
tur & similibus casibus nomen actionis esse exprimen-  
dum ab actore, quâ velit experiri, ne alias reus su-  
per qualitate actionis intentatæ incertus reddatur; & ut  
sic certa possit fieri sententia. Kling. *ad c. dilecti. extrâ*  
*de judiciis. num. 19.* Magn. Dn. Ungepaur. *d. Exercit. Ju-*  
*stin. 15. quest. 6. in Nego.* propè finem: ubi alia refert  
exempla.

### XXIII.

An autem libelli emendatio possit fieri, non una  
omnium Dd. est sententia. Quidam ad litis contestati-  
onem usque simpliciter & regulariter concessum esse  
affirmant. Noe Meurer. *in Processu Camera part. 7. rubric.*  
*de litis contest.* ubi ex veteribus Bart. Alex. & Jason. alle-

125  
gat. Schleif. in not. illustr. ad π. Wesenb. ff. de edend. n.  
7. Wehner in Observ. Pract. lit. G. in voce, Gewehr /  
Wehrhaft. Gail. lib. 1. Observ. 51. num. 10. Jason. ad §.  
omnium. Instit. de action. num. 157. Sichard. ad Authent.  
qui semel. C. quomodo & quando. Ratio est, quia per litis  
contestationem quasi contrahitur in iudicio, & quis in-  
stantiæ obligatur. l. licet tamen. 3. §. idem scribit. 11. ff. de  
pecul. Authent. qui semel. C. quomodo & quando iudex. ideò-  
que ab ea altera parte invitâ discedere non licet. l. is, qui  
se obtulit. 25. ff. de R. V. l. ab emtione. 58. ff. de pact. Schultz.  
Instit. de action. lit. Z. Thuldæn. in Annotat. ad Prax.  
Rer. Civil. Damhouder. cap. 110. lit. e. Sichard. ad d. Auth.  
qui semel. C. quomodo & quando iudex. num. 13. ante verò  
contestationem litis, neque litem esse neque actorem  
petere, sed petere tantum velle dicimus. Perez. C. de  
litis contest. num. 1. Quidam distinguunt inter libelli e-  
mendationem seu correctionem & mutationem: & e-  
mendationem semper usque ad sententiam definitivam  
admittendam esse ajunt. Mutationem verò non nisi us-  
que ad litem contestatam. Wesenb. π. ff. de edend. num.  
8. Bolognetus ad l. ed ta. C. de edend. quem allegat Elias  
Rober. Exercit. Jurid. Instit. Imper. Disput. 21. Coron. 2. in  
fin. Damhouder. in Prax. Rer. Civil. num. 3. & hanc com-  
munem esse Dd. opinionem asserunt. Wesenb. Bolognet.  
dd. locis. Bocer. class. 6. disput. 14. thes. 23. Emendationem  
autem vocant Dd. cum detrahitur aliqua qualitas à li-  
bello, vel aliqua summa, ut si petiit actor viginti, an-  
possit postea detrahere, & petere decem, & hanc emen-  
dationem semper esse permissam ante & post litem con-  
testatam, rationem hanc adferunt, quia non possit re-  
prehendi actor, qui emendat in partem mitiorem & tem-  
peratius petit. Zas. ad §. si minus. Instit. de action. num. 7.  
Muta-

Mutationem verò vocant Dd. veram actionem dimittere, & aliam proponere. *arg. l. mutari. ff. de procurat. Zas. d. l. num. 11. Damhouder, in Prax. Ker. Civil. cap. 110. n. 6.* Quidam nulla habita distinctionis ratione inter libelli emendationem & mutationem usque ad sententiam definitivam correctionem esse permissam asserunt. Elias Rober. *d. l. Magnif. Dn. Ungepaur. Exercit. Justin. 15. q. 7. per tot.* Bocerus *l. c.* hoc tamen casu actori refundendas esse expensas. Aliter distinguit *Zas. ad §. si minus. Instit. de action.* Aliter adhuc *Manzius ad §. 35. Instit. de action.* qui distinguit inter errores libelli: nam error aliquando contingit circa verba, aliquando circa sensum ipsum: aliquando circa accessoria, aliquando circa ipsam rem principalem: aliquando circa quantitatem, qualitatem, vel substantiam. Et hi posteriores quoniam omnium optimè videntur distinguere, in eorum castra transitum facimus & calculum nostrum his addimus. Doctori enim distinguenti videtur standum, tanquam magis appropinquanti veritati. *Nevizan. lib. 5. Sylv. Nupt. num. 31.* hi igitur videri possunt. De jure verò Saxonico actori concessum est emendare libellum ante præstitam guarandam, non verò post. *Wehner. d. l. Schneidew. ad §. omnium. Instit. de action. num. 132.* text. expressus in *Weichbild. artic. 40. in fin. fol. m. 72.* ita se habet. *Alldie: weil die Gewehr nicht gethan wird / dieweil mag der Kläger seine Nohtklag wohl bessern / und darnach nicht mehr. & artic. 114. fol. m. 102. ibi: Wo aber ein Mann eine rechtte Gewehr gelobet oder empfähet / umb ein Klag / nach der Gewehr mag er die Klag weder bessern noch ärgern.*

#### XXIV.

Effectus libelli est, ut 1. secundum petitionem

C 3

in



in libello factam formetur sententia. c. qualiter in fin.  
extra de accusat. de qua in thes. 10. & 11. actum. 2. per-  
petuat actionem annalem, quando summo Principi of-  
fertur, qui ad eam rescribit. l. 1. & 2. C. quando libell.  
principi dat. &c. 3. facit rem litigiosam. 4. interrumpit  
praescriptionem. l. sicut. C. de praescript. 30. vel 40. an-  
nor. l. ex multis. C. de annal. except. 5. obligat  
actorem ad finem perducere causam, Authent. qui se-  
mel. C. quomodo & quando. Venator in Analys Jur. Pon-  
tific. lib. 2. tit. 3. Kling. ad c. 1. extra de libell. oblat. nu-  
mer. 22.

## CORONIDES,

### I.

**C**lausula, von Rechtswegen / in libello posi-  
ta, nihil aliud significat aut importat, quam  
officium judicis.

### II.

Stricto jure filius natus ante nobilitatem a patre  
acquisitam non est nobilis.

### III.

An Actor in terris Saxoniae reo post praestitam gua-  
randam jusjurandum deferre possit, si de eo in  
libello protestatus fuerit, sibi quid reservavit? N.

### IV.

Imperium merum regulariter in mortuos exerceri  
an possit? N.

V. Num

IV.

Num debitores bonis cedentes notentur infamia?

V.

An Actor Reum coram iudice incompetente conveniens causa cadat?

VI.

An Advocato salarium debeatur, si in causa succumbat? A.

VII.

An valeat pactum, quo convenit, ut creditor propria autoritate possessionem bonorum debitoris possit ingredi, si pecuniam definito tempore non solvat?

VIII.

An praebens poculum amatorium, ex quo praeter animi intentionem mors sequitur, poena homicidii ordinaria puniendus sit. N.

IX.

An vasallus dominum suum non petita seu impetrata venia in jus vocare possit. A.

X.

An amissa per ludum, tanquam turpiter data possint recuperari per conditionem?

XI.

XII.

*Quando minor dat mutuum minori, an accipiens ju-  
vetur Scto Macedoniano? N.*

XIII.

*Si spectra seu idola domui conducta infesta obambu-  
lent, ut aedibus frui nequeat, an justa migrandi  
caussa sit?*

XIV.

*Num frater cum sorore committat incestum?*

XV.

*An fidejussor in caussis criminalibus intervenire  
possit?*

XVI.

*An fur, qui rupto laqueo vivus in terram decidit,  
dimittendus sit? N.*

XVII.

*Actio injuriarum ad palinodiam an sit civilis vel  
criminalis? prius A.*

F I N I S.




ULB Halle  
005 132 584


3



VD 17







VENTILATIO JURIDICA  
DE  
**LIBELLIS,**  
QUAM  
Divinâ Spiritus Sancti gratiâ clementer assistente  
CONSENSU MAGNIFICI JCTO-  
RUM ORDINIS IN ILLUSTRIS  
**Academia Jenensi,**

PRÆSIDE  
*VIRO Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Con-  
sultissimo & Excellentissimo,*  
DN. CHRISTOPHORO PHI-  
LIPPO Nichtern / J. U. D. Com. Pal. Cæs.  
Antecessore celeberrimo, p. t. Decano Spectabili, Consi-  
liario Saxonico, Curia Provincialis Saxonica & Scabi-  
natus Adfessore gravissimo, Facultatis Juridicæ Se-  
niore venerando, Præceptore sanctè  
colendo,

*Publicè eruditorum coronæ discutiendam  
proponit*

*Ad diem Martii*

**GEORGIUS HOEJING,**  
OLDENBURGENSIS,  
AVTOR.

JENÆ, ex Molybdographia GEORGII SENGENWALDI,  
ANNO M. DC. LIX.

75.

1659/14

16

